

De Ecclesia Repraesentante

Pars Secvnda

Lipsiae: Ex Officina Sommeria, [MDCCLXXIII.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1800867883>

Band (Druck) Freier  Zugang



Fidler,
De ecclesia reprae-
sentante. I & II.

1773.

d III, 3

510.

Bd III 3
3510



DE
ECCLESIA
REPRÆSENTANTE
DISSERTATIO INAUGVRALIS
HISTORICO-DIDACTICA ET POLEMICA
PARS SECVNDA.



QVAM
S. REVERENDI ORDINIS THEOLOGORVM
CONSENSV
PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES
RITE CONSEQVENDI
IN
ALMA ERNESTINA ACADEMIA RINTELENSI
A. CIOICCLXXIII.

ERVEDITORVM EXAMINI SVBMISIT
M. FERDINANDVS AMBROSIVS FIDLER
QVONDAM INTER PONTIFICIOS SACERDOS, ET CORREPETITOR
PHILOSOPHIAE, THEOLOGIAE POLEMICAE ET IVRIS CANONICI,
IN COENOBIO IMPERIALI-REGIO AVGVSTINIENSIVM
DISCALCEATORVM AVLICO-VIENNENSI, HACTENVVS VERBI
DIVINI IN LVDOVICI-DELICIIIS MINISTER, NVNC DESIGNATVS,
IN ACADEMIA BVTZOVIENSI, PROFESSOR ORDINARIVS THEOLOGIAE,
ATQVE IN CONSISTORIO ROSTOCKIENSI
CONSILIARIVS ACTVALIS.

LIPSIÆ
EX OFFICINA SOMMERIA.

IN
E C O L L E C T I A

R E S P E C T U S

UNIVERSITATIS
MAGNIFICENTISSIMAE
ALMA MATER
RUSTICAE

SYNOPSIS

ANNO
MDCCLXXII

ALMA MATER

IN

LIBRARIIS

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

DISSERTATIO
DE ECCLESIA REPRÆSENTANTE.

PARS II.
DIDACTICA.

§. XVII.

Absolutis iis, quae in hocce argumento tractando contra pontificiorum intemperantiam et arrogantiam praecipue dicenda videbantur, conferamus nos ad alteram propositae tractationis partem, qua scilicet docere constituimus, *quid ex amissi veritatis sentiendum statuendumque sit de ecclesia repræsentante.* Quo quidem in negotio hoc utamur ordine, ut diiudicetur. 1) num dari possit ecclesia repræsentatiua? 2) qua ratione et lege existere debeat? 3) ad quænam negotia sit conuocanda? 4) qualis et quanta sit eius auctoritas? 5) quinam tractandi modus adhibendus sit? 6) quales viri eiusmodi ecclesiam debeant et possint constituere? 7) num eiusmodi ecclesia repræsentans ad tempus tantum, an in perpetuum constitui possit et debeat? 8) num huic ecclesiae repræsentanti ea praeclara conueniant, quae pollicitus est Deus in sacris litteris ei, quae vere est ecclesia Iesu Christi? sic speramus, fore, ut nil dicendorum indictum relinquatur: et ex iis, quae dicta fuerint, quisque definitionem facillime componere possit, quam prima fronte apponere in tractatione problematica incongruum duximus esse.

§. XVIII.

Quod ut rite fiat, necessarium non duxi, adscribere et comportare huc ea, quae in libris dogmaticis quibusuis dici debent ac solent, de origine atque significatione vocabuli *Ecclesiae*. Quis enim eruditorum ignorat, graecorum *ἐκκλησίαν* respondere he-



braeorum קהל? Est quidem sua natura vocabulum commune, vsu vero et consuetudine sacram quodam modo significationem accepit. Multa enim ex graecorum moribus et politia traducta sunt ad regimen ciuitatis Dei externum. In vita communi apud graecos alio sensu dicitur *ecclesia*, quam quae biblice nunc est. Ecclesia enim, vti in sacris litteris adhibetur, nihil aliud significat, nisi *credentium multitudinem*: Latiori quidem significato notat *coronam populi, concionem conuocatam*: quo significato legitur Actor. XIX, com. 32. coll. com. 40. vbi praesertim posteriori loco *coetum, confluxum hominum* aperte significat: atque suo modo distinguitur ab *ἀγορά*, quae vox *promiscuam confusamque multitudinem* indicat. Apostoli igitur, graecam linguam recipientes ad componenda scripta sua, nobilius adsumserunt nomen, vt indicarent, regimen ciuitatis Dei esse quidem aliqua ex parte democraticum, minime vero inordinatum, habere suum Regem Christum, suum optimatum Senatum (27). Deinde singulari sensu ad rem publicam christianam accommodato dicitur *de vniuersitate credentium in Christum*: de particulari coetu Matth. XVIII, 17. de fidei vnus domus familia Coloss. IV, 15. de tota omnium in orbe terrarum credentium vniuersitate, siue Indaeorum olim, siue nunc christianorum, Act. VII, 38. I Cor. VI, 4. vbi vtroque in loco generaliter *ciuitatem Dei* notat (28). Tandem sensu maxime singulari dicitur *ἐκκλησία* coetus *electorum*, vere credentium, inuisibili ratione coniunctorum per fidem vnā, amorem mutuū, communes calamitates, mutuas intercessionē. Praeter haec, vocis significatus restat omnium maxime singularis, quo coetus angelorum sanctorum beatorumque hominum ad thronum maiestaticum Christi congregatus dici solet in Veteri Testamento vel קהל simpliciter sine omni adiectione vti Psalm. XXII, 23. aut cum adiecto רב vti eodem Psalmo com. 26. Sed haec philologica

27) Conf. Rom. XII, com. 4 - 8. I Cor. XII, com. 28. sq. Ephes. IV, com. 11. 12.

28) Hic est omnium vtitatissimus significatus: qua propter et AVGVSTINVS Breuic. Collat. Diei I. fol. 561. scribit: *ecclesiam catholicam eam esse, quae per totum orbem fructificaret, et cresceret, incipiens, ab Hierusalem, nihilque ei praeiudicare, quicumque in ea mali fuissent, diuino in sine iudicio separandi.*



logica ab aliis copiosissime tractata 29) mittamus, et quod rei hic 29) est, examini subiiciamus.

§. XIX.

Cum igitur significatus vocis semper complexum hominum requirat, hoc ante omnia notabimus, nequidem vnquam in scriptura sacra aliquam partem, exclusa altera, dici ecclesiam. Sunt vero communiter imo vbique in ecclesia duae partes, altera doctorum, auditorum altera: neque tamen illi tantum, nec hi tantum ex biblico vocabuli vsu constituunt ecclesiam. Attamen quaeritur, *num dari possit ecclesia repraesentans?* ad hanc quaestionem quid respondendum esse duximus, videat nunc Lector beneuolus. In eo nos certos nunc putamus, in Sacris litteris, nostro quidem iudicio, nullum extare exemplum eius rei. Etsi enim nonnulli nostratium quoque Theologorum eiusmodi ecclesiam in loco Matthaei Cap. XVIII. com. 17. reperisse sibi videntur 30), tamen in eorum de-
A 3- scendere

29) Inter dogmaticos scriptores, qui ex instituto theologiam dogmaticam scribendo tractarunt, et quos tanquam satis notos e. g. BVD-DEVM, HOLLAZIUM, QVENSTEDTIUM, CHEMNITZIUM, GERHARDTUM, et instar omnium LYTHERUM et socios, inducere superfluum foret, nemo mihi adhuc innotuit, pro angustis, vt facile est opinatu, meae lectionis finibus, nisi I. MVSÆVS, Theologus quondam Ienensis, qui singularem tractatum scripserit de *ecclesia*, forma 4. Ienae typis exaratum ao. 1671. quem tamen oculis libare adhuc non licuit, quod quidem non leuiter doleo. Quod ad vocis originem, variosque significatus attinet, inspicere moretur M. FLACCII ILLYRICI *Clavis scripturae Sacrae*, sub voce *Ecclesia*. Num alii hoc argumentum singulari opere tractauerint, ignoro, nullus tamen dubito, quin factum sit, quamuis libri nunc non sint cogniti. Inter pontificios omnium oraculum commune, quo consultum recentiores quique confugiunt, est BELLARMINVS in *Libris controuersiarum*. Tom. II. L. I - IV. vbi de conciliis et ecclesia, de conciliorum vtilitate et necessitate, de causis, cur habeantur aliisque multis rebus prolixè egit, omnemque lapidem pro virili mouet, vt infringat suffodiat cuniculis veritatis arcem.

30) E. C. HOLLAZIUS in examine Theolog. Acroam. P. IV. Cap. I. Quaest. III. quod ego legens non parum miratus sum. CRYSIVS Venerab. in aliquoties laudato libello p. 75. etiam IOH. CASP. SVICERI meminit (in nota), qui in Thesauro ecclesiastico e patribus



scendere sententiam nequeo. Nam nullam idoneam video rationem discedendi a prima vocis significatione. Christus iubet rem deferri ad concionem, ad vniuersam christianorum, coronam, vti et ciuiles causae apud antiquos Iudaeos pariter atque gentiles agi solebant atque iudicari non quidem nisi per Iudices delectos, attamen praesente et audiente populo. Qua propter non video, cur antisites et presbyteros tantummodo quis intelligat, nec concedatur, fieri hoc debuisse in concione vniuersitatis credentium, vt qui laedere alterum non erubuerit, nec iniuriam illatam agnouerit, nunc coram concione tanquam homo improbus et pertinax rubore perfundatur. In antiqua ecclesia iudaica, ad cuius formam Iesus haec dixit, mihi adhuc nullus vsque ex codice sacro locus occurrit, qui ex liberalibus interpretandi regulis exemplum ecclesiae repraesentantis offerret. Etiam si enim interdum in rebus magni momenti proceres ecclesiae ad res dirimendas conuenerint, semper tamen hoc publico in loco praesentibus omnibus, quibuscunque libuerit, factum esse apparet. *Synedrium magnum*, quod nonnulli pro ecclesia aliquo modo repraesentatiua haberi volunt, fuit nil magis, quam summus rei publicae senatus. Agebat enim non solum de rebus sacris, sed et, idque potissimum de causis ciuilibus. Synagoga quidem magna, quae ex CXX viris constabat, posset si vllum vnquam collegium, haberi pro ecclesia repraesentante. Huius vero nulla fit in codice sacro mentio, cum recentiorum temporum sit institutum. Refertur quidem Ios. XXIV, c. 1. Iud. II. c. 7. Psalm. CXXII. c. 5. collegium seniorum, iudicum, sed hoc erat regimini ciuili praefectum. Quod si vero Matth. XXIII, com. 2. *Scribae atque pharisaei dicuntur a Iesu sedere in cathedra Moysi*, hoc nihil aliud indicat, quam munus do-

31. cendi populum, legitime ipsis traditum 31)

Verum

bus graecis Tom. I. p. 1051. eandem sequitur sententiam, quam tamen CRVSIVS p. 76. 77. in rectum tramitem dextre reduxit, cuius et ego subscribo placitis.

31) Vberius tractauit haec HADRIANVS RELANDVS in *Antiquitatibus Sacris Hebraeor.* P. II. Cap. VII. item CONRADVS IXENIYS in *Antiqu. hebraicis* Part. II. cap. IV. coll. Part. I. cap. V. §. VIII. qui quidem autores doctissimi multis in rebus dissentiant.

VITRIN-

Verum aliae sunt rationes, cur *ecclesia repraesentans* inter *adversata* reponi non possit. Scilicet natura rei atque necessitas temporum rem defendunt. Nam secundum utriusque iuris praecepta cum ecclesia sit *societas, collegium* vniuersitas hominum, quae propriis utitur legibus, ei competere quoque debent omnia *ciuitatis aut collegii priuilegia et iura*. Loquimur enim in hac nostra disputatione de ecclesia externa visibili, quae consiliis humanis circa regimen externum carere nequit. Quemadmodum igitur quaeque ciuitas hoc iure utitur, vt ad procurandam salutem totius communitatis delegat vnum aut plures, qui nomine omnium communi saluti consulant: sic et vnicuique ecclesiae particulari, quae pars integralis est totius Christianorum per orbem terrarum dispersae ciuitatis, competit omnino ius et facultas, deligendi *ex suis* siue paucos siue plures, quibus iura sua et salutem concedat, quos nomine suo agere iubeat, quorum communiter capta consilia, vbi ipsis probata fuerint, sequi velit. Attamen, quamuis certum atque indubitatum hoc sit, inter *adversata* numerare quisquam nostra pace posset, *vniuersae* ecclesiae christianae posse iustitui ecclesiam *vniuersaliter* repraesentantem. Non enim video, qui fieri possit, vt omnes Christiani orbis particulares ecclesiae in hoc vnum conueniant, vt nulla renuente ab omnibus ac singulis delecti quidam mittantur ad eiusmodi concilium, quod iure meritoque haberi debeat pro ecclesia *vniuersaliter* repraesentante, aut ni vere mittant, tamen deficientibus ex sua parte legatis ea rata habeant, quaecumque a caeteris repraesentantibus ecclesias suas particulares decreta fuerint. Ergo et in recentiorum temporum conciliis praeclarum et illustre hoc nomen et nimis arroganter incongrueque adhibitum videtur. 32)

§. XX. 32.

VITRINGA de *Synagoga vetere* consulendus esset omnino, quem tamen consequi non potui; ipse vero nondum habeo.

32) Ad antiquissima quidem concilia celebranda episcopi delegati orientis et occidentis ecclesiae conuenerunt, testantibus actis. Verum in quam plurimis recentiorum temporum conciliis nulli exterarum ecclesiarum legati accesserunt, e. c. in Pisano, Constantiensi, Basileensi, minime omnium tridentino, cui nequidem ab initio, cum grauissimis de rebus, scilicet *de modo agendi et tractandi in concilio* deliberatum est, ecclesiae



§. XX.

Ponamus ergo hoc primum, per se dari posse *ecclesiam repraesentantem*, non quidem, saltem difficillime *uniuersalis*, tamen sine dubio *particularis ecclesiae*. Quaeritur nunc, *qua lege atque ratione existere debeat?* Primum igitur puto esse hoc, vt clericorum et principum ciuitatis communi consilio decernatur constitutio et congregatio ecclesiae cuiusdam repraesentantis ad deliberandum de salute publica totius illius ecclesiae, quae in concilium tale conspirauerit. Atque deinde nullum est dubium, quin membra eiusmodi ecclesiae repraesentantis deligi debeant *ex votis omnium*, qui ecclesiam repraesentandam constituunt, saltem *negatiuis*: in quibus non video, quare non rectores populorum, principes ciuitatum primas teneant partes, quam ratione iis denegetur potestas proponendi eos, quos maxime prae caeteris dignos atque idoneos aestimauerint. Hac ratione in antiquitate semper concilia sunt instituta, vt scilicet Imperatores romani inito cum regibus, principibus et episcopis consilio decernerent concilium habendum, deinde quisque suae ditionis episcopis et magistratibus mandaret delegationem cuiusdam viri eruditi atque idonei ad celebrandum

33) concilium, communi ecclesiarum suarum adhibito consilio: 33) atque haec vna vera est legitimaque lex et ratio habendi concilium, quod si vllum vnquam mereatur illustre et magnum profecto nomen *ecclesiae repraesentantis*. Huius generis fuere illa vniuersalia priorum seculorum concilia, quae omnis christianorum orbis populus

ecclesiae germanicae legati interfuerunt; posthac horum pauci tantum, exterarum ecclesiarum, graecae et ritus antiqui, et euangelicae nemo aduenit. Quomodo igitur ecclesiam *uniuersalem* potuerunt repraesentare?

33) Possit hoc, si inter eruditos atque ingenuos viros vllum dubium esset, facili opera quamuis non breuiter demonstrari ex antiquorum conciliorum actis. Vnius vero hominis causa, qui friuola audacia absurdissima quaeuis in corona populi ignari et rudis ecclesiae cathedralis Augustae Vindelicorum fabulari et alta voce declamare rei suae vile duxit, aliquot complere paginas, improbum putauimus fore laborem: is enim non erubuit, verissimas praeiudicatasque res audacter negare. Ast aliam nobis dabit fortuna occasionem, reuelandi hominis admirabilem siue malitiam siue inscitiam et nequitiam.

pulus recepit, celebrata olim, antequam in tantum excreuerit papatus violenta dominatio fastigium.

§. XXI.

Facilis nunc res est exponere, quo consilio et ad quatenam negotia eiusmodi concilia sint conuocanda: nec fieri hoc debere aut posse leuibus de causis, quisquam sibi persuadebit: namque vnam alteramue ecclesiam attingunt, quorum caeteris ecclesiis nihil interest, priuato consilio componi et in ordinem redigi possunt: sed in negotiis grauioris momenti, quae ad salutem totius ecclesiae vel nationis vel regni cuiusdam spectant solummodo fieri posse, recte iudicatur. Ad quae negotia referenda sunt haec: *Apostasia* particularis cuiusdam ecclesiae, cui rimae sanandae et vinciendae fas est, vt concurrant partes totius ecclesiae omnes iuxta illud S. Pauli effectum: *ἵνα μὴ ἰσχυρισμὸς ἐν τῷ σώματι, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη. καὶ εἴτε πάσκει ἐν μέλος, συμπάσκει πάντα τὰ μέλη. εἴτε δοξάζεται ἐν μέλος, συγκοιρεῖ πάντα τὰ μέλη. ὑμεῖς δὲ ἐστε σῶμα Χριστοῦ, καὶ μέρη ἐκ μερῶν 34)*. Sic et *Schismatis Meletiani* causa Concilium Nicaenum I. ³⁴⁾ conuocatum est. *Communis error*, quo doctrina publica hinc inde contaminatur, qui quamuis in publicum dogma nondum abierit, tamen magnum puritati doctrinae publicae detrimentum minatur. Fit enim perfaepe, vt error aliquis multorum in mentibus versetur et communi hominum commercio, ceu pestilentielle venenum inuicem communicetur sicque propagetur, vsque dum totum infectum fuerit corpus: cui malo medendo nulla efficacior adhiberi potest medicina, nisi conuocatum concilium, in quo legati particularium ecclesiarum de restringendo errore deliberent, efficacissimaque mali medicina reperta, hanc domum secum deferant, reliquisque membris vel sanandi vel praecauendi causa admoueant. Sic factum inuenimus in haeresi *Ariana* et inualescente errore de clericorum inepto coelibatu, quae inter alia ansam Concilio Nicaeno I. praebuerunt. *Episcopi* aut alius in magna autoritate viuentis *doctoris* a pura doctrina *defectio*, qui, ni statim obueneretur malo, multos

34) 1 Cor. XII, com. 25. 26.



multos in erroris communionem perducere posset, quo facto tota ecclesiae salus periclitaretur. Id quod aliquoties factum esse rerum gestarum memoria abunde nos docet: quae res, cum nihil minus noxia sit, quam ea, de qua diximus, non minus accelerato indiget auxilio. Quapropter cum MACEDONIVS aberraret a recto veritatis tramite, consulebatur ecclesiae per Concilium Constantinopolitanum. *Disciplinae et morigerationis defectus* in quadam ecclesia, cuius per interna dissidia, contentiones acerrimas, flagitiaque in crebrescentia tota solus omnium in descremen decurrit; cui vt quies et interna pax coniuncta cum morum Sanctitate restitueretur opus est communi omnium consilio: sic GREGORIUS NAZIANZENSIS per iam dictum constantinopolitanum concilium designatus est ad capeffendum episcopatum constantinopolitanum, cum episcopi aegyptii multis insidiis ipsi obniterentur. Taceo alias multas causas varii generis et momenti, quibus vt medeantur proceres rerum publicarum, permoueri possunt, constituendi 35. ecclesiam repraesentatiuam 35). Vnum est, quod inde colligimus, scilicet *ecclesiam repraesentantem collegium esse*, non nisi ad singulare aliquod negotium conuocatum: ergo etiam diutius autoritate sua non frui posse, atque praefixus finis poscebat: quo obtento expirat et ipsum cum auctoritate nomen. Vnde et hoc simul efficitur, ecclesiam repraesentatiuam semper et in perpetuum durantem ad res quasuis decidendas prout accidant, vel reuera non dari posse, vel saltem nunquam legitime extitisse. Sed hac de re alio loco dicemus.

§. XXII.

35) BELLARMINVS cit. loco Libr. controu. recenset *sex causas*, cur concilium possit et debeat celebrari, nempe 1) haeresin nouiter ortam, 2) Schisma, 3) resistentiam communi hosti totius ecclesiae. 4) suspicionem *haereseos* in romano pontifice (qui tamen ex BELLARMINI sententia errare nequit), 5) dubitationem de electione romani pontificis, 6) reformationem generalem abusu et vitiorum, quae in ecclesiam irrepunt: Quem causarum censam propterea sequi nec potui nec volui, quoniam mea doctrina et persuasione propter panam, quem inter inutilia terrae pondera numero, ne minimi quidem pagi plebeculae deberet fieri molestia: quod si igitur turbare pacem publicam ausus fuerit, brachium seculare eum compescere et domare debet; corrigi enim nequit.

§. XXII.

Quamuis vero ex hactenus dictis videre est, concilio vel generali vel particulari sine dubio repraesentari ecclesiam ipsam, modo sit legitime, hoc est, magistratum iussu congregatum, et ex membris communi consilio ecclesiae delegatis constans, tamen notatu quam maxime dignum hoc mihi quidem videtur, quod nulum antiquorum conciliorum hanc sibi sumserit denominationem (v. §. III.), neque adeo se ecclesiam nude appellauerit. Concilium Aquisgranense Seculo IX. hac appellatione nondum vitur: videtur ergo esse ipsis nimis arrogans et superba fuisse visa, quam quae homines probos deceret: ergo et ignota olim fuit haec vocis ecclesiae vsurpatio. Nam in Iure Canon. Part. III. Decreti, de consecratione Distinct. I. c. 8. legitur. *Ecclesia*, id est, *catholicorum collectio*: nihil ergo de ecclesia repraesentatiua. Sero satis inuenta est haec concilii cognominatio, vt et ipsa dictionis forma barbariem temporum redolet. Nam vox *repraesentare* apud bene latinis scriptores, Ciceronem, Plinium, nihil aliud est, nisi rem absentem vel antea visam restituere et praesentem facere: sic dicit Plinius de imagine mortui: *eius imago repraesentatione exprimitur*; formula: *pecuniam repraesentare* est Ciceroni, debitum numerata pecunia reddere: *repraesentare animo* significat recordari. Nunquam vero latine dicitur *repraesentare* pro vicibus alicuius fungi, alterius nomine aliquid agere. Sed haec obiter dixi, tantummodo propterea, vt nouitatem denominationis ergo et arrogantiam temporis recentioris indicarem.

§. XXIII.

Disquirendum nobis nunc est de eo tractationis nostrae loco, qui nostro quidem iudicio sane maximi est momenti; scilicet, vt videamus, *quonam tractandi modo* in rebus propositis *vti debeat constituta aliquando ecclesia repraesentans*? In qua disputatione haec menti occurrunt dispicienda, *primo* secundum quamnam normam veritas ab errore seiungi debeat, *deinde*, vtum votorum numero, an argumentorum indole res decerni debeant? *porro*, num cuiquam vni, et cui potissimum in rebus dubiis definitum decretum



relinqui possit? Atque quod primum rei momentum attinet, hoc per se in apertissima luce positum credimus, vnam veritatis ab errore seiungendae regulam in ecclesia Iesu Christi semper agnosci debere *Verbum Dei* Prophetarum, Apostolorum et Euangelistarum calamis consignatum. Id quod post omnia priora concilia adeo 36. tridentina synodus 36) agnoscere necessarium duxit, quamvis eadem verbo Dei vnice vero traditiones obscurissimas addere, et re ipsa in alia omnia iudicando discedere non erubuerit. Quod si vero huic vni regulae opponatur aliud quid, e. c. traditio, humana lex, id omne debere non solum expresso tenere concilio proponi, vt videant quique conscriptorum patrum, quid contineat, quatenus respondeat scripturae sacrae? sed etiam de integritate, veritate historica et autoritate eius traditionis et legis humanae argumentis criticis et historicis cognosci, rei natura iam docet: quoniam ex ignotis et incertis nihil notum et certum, et ex falsis et falsis nil verum effici potest. His peractis tamen atque si omnia recta se habent, restat iudicium de aequo et bono, de vtilitate, num istae traditiones legesque humanae his iisdem temporibus et rerum ingenio conueniant. Ergo risum tenere prudens quisque nequit, quando legat, quam leuiter et malitiose locuti sint de traditionibus imberbes atque imperiti tridentinae synodi patres, qui neque titulos neque argumenta celebratarum ad coelum vsque traditionum poterant narrare, nec earum futuram aliquando editionem recipere 37), quamuis prae se ferrent, normam sibi esse iudicandi. Et cum verbum diuinitus scriptum minime vnquam vere et liberaliter in consilium adhibuerint, teste vtroque legentis oculo,

36) Decreto de Canonicis Scripturis et traditionibus Sess. IV. d. 8. April. 1546.

37) Nihil patres concilii dicto decreto proferunt, vnde eluceat, ipsos se sciuisse, quid dicant iactatae traditiones, et vnde sciant, quod iactato modo ad se venerint. Ergo et ad hunc vsque diem nemo scire potest, quam illi iudicandi regulam adhibuerint, nec certus quisquam esse queat, annon ipse anathematis fulmine percutiatur, vbi aliquam ignotam omnibus traditionem, neque sciens neque volens contemserit. Quanta haec est stultitia!

oculo, apparet, hocce conciliabulum omnino omni caruisse decernendi regula alia, nisi incertissimo arbitrio pontificis, quod vnum secuti sunt. Ipse vero Spiritus S. Deus, librorum diuinorum auctor primarius, hoc inculcat de rebus, quae ad religionem spectant, deliberantibus, vt legem sequantur, atque doctrinam testimonio diuino firmatam. Ief. VIII. com. 20. Quae igitur praeter, vel adeo contra, hanc regulam admittuntur, iure meritoque nihili pendenda sunt. In explicando autem sensu huius vnus regulae diiudicandi, Verbi scilicet diuini, adhibendas esse communes interpretationis leges, sana quemque ratio docet: nec potest fieri, vt aliquis singulare priuilegium interpretandi litteras sacras, quisquis ille sit, affectet, cum historiae, linguarumque scientia nulli mortalium priuilegio condonetur aut praeternaturaliter quasi per infundibulum iniiciatur aut insuetur pannis purpureis, aut caeletur triplici coronae regnum mundi quam appellant; sed studio labore, vigiliis assiduis ac precibus acquiri debeat 38). De altero momento 38. sane stulta est quorundam papicolarum opinio, qua persuadere nobis conantur, debere res in conciliis decerni ex votorum pluralitate 39), quasi certum atque vsu conpertum haberemus, veritatem

B 3

38) Prudens quisque risum tenere non poterit legens, interpretationem Scripturae sacrae a patribus tridentinis referuari Sanctae Mariae Ecclesiae, hoc est, pontifici, cum ipsi hi patres summam et extremam dubitationem animi indicant, fore, vt vnquam eius interpretationes ederentur. Verba decreti Tertii Sess. IV. maxime illiberalia adscribi merentur: Nemo — S. scripturam ad suos (i. e. veros ex Linguarum et antiquitatum notitia ductos) sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia (ergone haec S. Mater sciuit eum sensum, quem tenuit in concilio et tamen lucifugas suas interpretationes edere non vult? et nihilominus manet Sancta Mater?) —: etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendae forent. Vide hominum sagacitatem naresque acutissimas.

39) Sic THOMASIVS Dissertat. in concilia generalia et particularia (ed. Lucae fol. An. 1737.) Diff. VIII. No. 44. ineptissime hunc morem commendat verbis: *ubi in ecclesia agitur aliquid nouae quaestionis, contemnatu semper paucitas dissonantium, sola superet numerositas episcoporum et auctoritas sedium.* Quibus addit haec referens SEMMLERVS aptissime: *Istud enim est πολιτικον Apostolorum,* atque



tatem non quidem semper, saltem tamen plerumque a plurimis agnosci. *Fieri enim potest et saepissime factum est, ut pars aliqua rectiorem sequatur sententiam, quam numerus maior superat atque opprimit. Hoc modo posse haeresin concilio generali confirmari, vero* 40. *verius est etc.* inquit SALMASIVS 40). In quo quidem negotio negare nunquam in mentem venire debet, plurium oculos plus videre quam oculum; atque si plures pii atque rerum intelligentes cordatique viri conuenerint in aliqua opinione, hanc magnam 41. *veritatis speciem adipisci* 41). Interim certi aliquid in rebus fidei decerni posse votorum pluralitate non ausim credere. Et quid est, cur non vnus aut paucorum eruditorum atque proborum virorum sententia multo plus valeat apud veritatis amantem, quam 42. *afinorum innumerabilium horrifona vociferatio* 42)? Ergo quid impedit,

atque Sponsae Christi? v. ei. Select. Capit. Hist. Eccl. Tom. I. Sec. V. cap. V. pag. 266. PARKERVS de Polit. eccles. L. 2. c. 35. contrarium ex *Panormitano* et *Gersonio* aliisque demonstrat, eodem SEMMLERO ibidem referente.

40) In apparatu ad Libros de Primatu papae. p. 211.

41) Propterea in concilio *carthaginiensi* circa causam *donatistarum* ex vtraque parte *septem viri* eligebantur, qui vltro citroque disputando quaestionem controuersam tractarent. Quorum ex parte donatistarum primus erat PRIMIANVS, ex parte catholicorum AVGVSTINVS Hipp. episc. vid. BARONIVS ad annum 411. n. 17. et SPONDANVS.

42) Stomachum mouet, si quis legat, quem modum adhibuerint patres tridentini in votis ferendis: conducti enim pretio erant, plurimi patrum, vt applauderent edictis legatorum pontificis: homines sine cerebro, omnium literarum rudes inconditis clamoribus vim argumentorum superabant, quae pauci sapientiores opposuerant. Sic legimus et olim factum in quibusdam conciliis antiquitatis, praesertim chalcædonensibus, de quibus Ven. SEMMLERVS in *Select. Cap. Hist. Eccl. P. I. Sec. V. c. V. p. 267.* haec refert: „*In chalcædonensibus enim actis, vt plura exempla non colligamus, quantum clamorum inconditorum occurrit! Populi faecem et colluuiem, tantum non furibundam audire et videre licet, Episcoporum grauitatem et pietatis et prudentiae ingenuum modum frustra requirimus. Iudices ipsi admonent, actione I. p. 74. αἱ ἐκβοησεις αἱ δημοτικαὶ ἕτε ἐπισκοπεῖς πρὸς πρῶτον, nec partes iuuant; sed statim nouus clamor interpellat, δὲ εὐσεβεῖαν κρᾶζομεν, propter pietatem clamamus, propter orthodoxam* „doxam

impedit, quominus ponamus, res propositas in concilio minime secundum plurima vota posse, sed ex argumentorum robore discerni debere? quod ipsum robur ex probe intellecto oraculorum diuinorum sensu hauriri non difficulter potest, si modo veritatis amore ducatur et regatur synodus ecclesiae repraesentantis. At tamen ubi, quod interdum fit, diuisa inuicem nihilominus optimatum existant consilia, quaeritur, num cuiquam vni, et cui potissimum discernendi competat ius atque auctoritas? Neque ego video, quidni hoc possit concedi? modo ut omnia se recte habent, et nec generis nobilitas nec muneris dignitas, sed virtutis et ingenii excellentia respiciatur eius, cui communi consilio omnium haec prouincia credatur. Melius vero semper consulitur animis, si pauci aliquot eliguntur viri grauitate et eruditione conspicui, quibus committatur vltior deliberatio: cui negotio praeficiendi essent quidam seniores episcopi, propter aetatem et vsum rerum longaeuum prae ceteris insignes: vnius vero arbitrio fidei iudicium absolute committere, nimis foret periculosum: vnius enim animus multo facilius ad errorem deflectitur, quam aliquot paucorum mutuae consultationes, nec ignotum est rerum vsu, quam variis mens humana agitetur hinc inde affectibus. Ex his dictis duo colligimus, primo, nulla ratione, nisi maximo et praesentissimo cum periculo fieri posse, ut vnius papae definitioni committatur iudicium de rebus fidei ac religionis, et quidem ea lege, ut eius

„doxam fidem. Subscriptiones, (quae non nisi vota erant) „sine iudicio et proprio arbitrio; subscripsi sicut omnes patres nostri, p. 134. si vero est aliud, (sentiendum, scribendum) dicite mihi (scribam et aliud.)” Plura describere nolo, legat quisque huiusmodi defensor improbus citatam paginam apud SEMMLERVM. Incongrua haec ratio edendi vota et diiudicandi res fidei in conciliis habuit etiam defensorem non contemnendum PFEYFFERVM Iesuitam, MERZII mei dignum omnino praedecefforem, qui in concione Augustae Vindelic. Dom. XI. p. Trin. anno 1732. habita posthac sub titulo: *Frag-Warum die Evangelische das Concilium zu Trient nicht angenommen?* typis expressa, hunc modum prolixè tueri conatus est: quam vero concionem egregie refutauit, hominisque stultitiam et heterodoxiam in clara luce posuit GEORGE LVDEWIG OEDER peculiari libello edito *Schwabach, 1736.*



eius edicta pro falli nescia haberentur: nam dignitas muneris nemini dona animi atque ingenii confert, quae antea non habuit. Atqui paucissimi romanorum pontificum litterarum ad minimum sacrarum studiis, inclaruerunt; plerique pessimi hominum fuerunt et flagitiosissimi: neque reperimus pontificali dignitate fuisse factos eruditos ac probos. Quis fidem his committere vellet? *Deinde*, decreta concilii tridentini et aliorum, quorum papa auctor, rector et anima fuit, propterea etiam auctoritate ecclesiae repraesentantis plane destitui, quoniam ad istius nutum omnia finita sunt, Praeterea et ea *decreta*, quae ab eiusmodi selectis paucis viris, componendae controuersiae causa, feruntur, iterum *absoluta auctoritate ita non valent*, vt corrigi aut prorsus reuocari vlla ratione nequeant, sed tantummodo *consultatoria* manent et examini vltiori subiecta, *donec vnanimis omnium accedat consensus*, qui vere ad legis indolem requiritur. Propria enim auctoritate nemo eorum gaudet, qui ad concilium conueniunt, nec vltra fines commissi negotii progredi potest: omnia vero repraesentantis ecclesiae vota atque decreta ex his facta tum tandem publicam nanciscuntur fidem et auctoritatem, quando ecclesiis repraesentatis fuerint probata. Liberum enim sibi tacite semper reseruat ecclesia quaeuis iudicium de rebus actis, non iugo colla submittere, non infinitam legatis dare potestatem, sed suae salutis consuli voluit Ecclesia. Quodsi ergo aliquid secus actum repererit, libera sua vtitur voluntate discedendi in alia omnia. Sic recto rectius reiecit Gallicana Ecclesia, quaecunque a Pontifice contra sua priuilegia atque libertatem vnquam fuere decreta. Sic recte CAROLVS MOLINAEVS Regi atque populo gallicano dissuasit decreta tridentina, quanquam et gallicani episcopi istis componendis interfuerant, idque propterea, quod videbat, penitus tolli libertatem et regis et populi, prodique publicam omnium auctoritatem et salutem, remque omnem publicam intemperanti pontificum libidini subici huius decretis.

§. XXIV.

Sed res haec, quae maximi momenti est et in vehementissima controuersia versatur inter nos et pontificios, altiori et diligentiori

gentiori indiget discussione. Quaerimus ergo, *qualis et quanta sit Ecclesiae repraesentantis auctoritas? quousque valeat? et quonam nitatur fundamento?* Atque hic loci breuiiores nunc esse poterimus, cum potiora ex iam dictis consent. *Auctoritas concilii* quod ecclesiam repraesentat, sua natura est *delegata et concredita*, nec vllam perpetuam habere potest regulam: nam sicut quisque delegatus maiori potestate vti non potest, quam deleganti libuit concredere delegato, omniaque nulla sunt, quaecunque a delegato vltra praescriptos limites fuerint patrata, sic et quodque concilium singulares suae potestatis habet limites, definitos ab ecclesiis pro rerum tractandarum indole; periculosum enim esset, arbitrio delegatorum res suas committere, praesertim si ad animi salutem pertinent, vbi damnum acceptum facili negotio reparari nequit. Ergo et hic in genere nihil definiti potest. Verum autem esse, quod diximus, exinde affatim comprobatur, quoniam concilia antiquissima suae indolis sibi conscia in rebus maximis epistolas synodicas consulendi causa ad Caesarem aliosque episcopos domi relictos miserunt, actorumque confirmationem ad Imperatorem retulerunt 43). Sic et pseudo synodus tridentina semper habuit in via 43-
abeuntes

- 43) Sic Imperator CONSTANTINVS M. per HOSIVM scribi curavit ad Alexandrinos ex Concilio Nicaeno I. v. EVSEBIVS H. E. L. II, c. 64. seq. in causa arii. In eadem causa episcopi Tyri congregati epistolam ad Aegyptios episcopos narratoriam misere vid. EVSEB. L. IV. de Vita Constant. M. et Theodoretus Hist. Eccl. L. I, 29. Alexandrina Synodus an. 340. epistolam scripsit ad omnes episcopos et Iulium Roman. complectentem Athanasii defensionem. v. EVSEB. ibid. Antiochenae Synodi an. 341. quidam fratres ad Iulium scripsere indeque responsonem acceperunt anno 342. post concilium Romae habitum. Sardicenses patres scripserunt ad ecclesiam alexandrinam itemque ad alios episcopos in defensionem Athanasii. vid. Apol. II. Athanasii: qua tamen in re orientales decretum durum tulerunt, multa atrocita contra Athanasium narrans. Vetustus codex in canone 47. Concilii Taurinatis haec verba habet: *vt de confirmando hoc canone* (de numero librorum diuinorum) *transmarinae ecclesiae consulantur.* Concilii Chalcedonensis patres scripserant ad Leonem I. a quo et epistolam instructoriam et consultatoriam acceperunt, quae sec. CRABBIVM inter Leonis epistolas 45ta. est. Epistola vero
C synodi



abeuntes et redeuntes nuncios, qui romam litteras ad apollinis tripodem deferrent eiusque mandata et frigida fulmina reportarent, cum rerum gereandarum neruis, aureis scilicet argumentis, si non veritatis cognoscendae, tamen vitae sustendendae mediis; unde manifestum est, antiqua concilia non magis nec minus quam tridentinos patres nil sibi arrogasse vnquam, nisi delegatam auctoritatem; quanquam hi ex re non duxerint esse, vt palam hoc confiterentur, cum aliter ex Roma nil afferetur, quam vt durissime et superbissime loquantur, inconsultisque regibus et principibus, nec audita altera parte, cuius causa conuocati fuerant, cuius de re maxime agebatur, proprio Marte, vt aiunt, absolute decernerent 44). Cum vero ecclesia Iesu Christi vniuersalis in vniuersum gregem, particularis in dioecesim suam potestatem habeat, vel conseruandi vel repurgandi et stabiliendi publicam doctrinam et ordinandi disciplinam externam ad coercenda flagitia, apparet reapse, vniuersali concilio eandem potestatem posse et debere concedi, ni omnis eius vtilitas euanescat. Caeterum quum ecclesia Iesu Christi, quamuis damnare et reprobare debet et potest errores et flagitia, veritati et sanctitati contraria, *minime tamen ius habet vitae et necis* in errantes aut flagitiosos, quia ad saluandum, non autem ad perdendum operari debet; ergo et quoduis concilium, hoc ius sibi

synodi habetur apud HARDVIN. Tom. II. col. 655. et est relatoria de rebus Chalcedone actis.

- 44) Confirmatio decretorum Concilii Constantinopolitani anno 553. celebrati requirebatur a IVSTINO I. Imperatore. vid. HARDVINVS Tom. III. concil. col. 58. STEPHANVS BALVZIVS (in notis ad opera Agobardi p. 94.) scribit: „Multa posteriores synodi, in quibus etiam romani pontifices praefidebant, constituerunt, quae obseruata non fuere etiam ab iis ipsis, quorum aeuo constituta fuerunt, — Et quoad seculum Agobardicum, constat eos solos gallicanos canones fuisse obseruatos, qui principibus placuerant, ceteros non admissos, . Notissimum est praeterea, antiqua concilia Imperatoribus acta sua confirmanda tradidisse et eorum petiisse confirmationem: e. c. de iis, quae in concilio Nicaeno I. acta, literis autem consignata non sunt, scripsit Imperator: *αυτος την αληθειαν εξασιν ανεδεξαμην.* apud SCRA TEM H. E. L. I. Cap. IX. vbi integra Imperatoris epistola habetur.

fibi arrogans, damnationis et supplicii sententias pronuntiando, turba est latronum et rebellium, quorum dicta et facta reputanda sunt pro caedibus et homicidiis, perniciem minantibus potestati, diuinitus collatae in magistratum ciuilem, qui gladium non frustra accepit; propterea et eiusmodi concilium nulla ratione nomen illustre repraesentantis ecclesiae gerere potest 45). Omnis enim huius potestas nititur vno hoc fundamento, quod delegans nil potestatis committere potest delegato, quod ipse sibi arrogare nequit: et quod delegato nil maius competit, quam quod ei concreditum est, scilicet iura et salutem delegantis ecclesiae curare et in se repraesentare eo modo, qui ipse sibi praescriptus fuerit. Quis vero magistratum omnium in orbe Christiano hoc permiserit ecclesiae suae ditionis, vt supplicia sumat de hominibus? Ergo multo minus haec potestas potest concedi concilio, quod nullam omnino habet iurisdictionem in homines, praesertim alicuius reipublicae ciues. Si quis tale quid fecerit, fecerunt vero olim multi, iniustissima ratione officii sui fuerunt immemores. Quid nos caeterum sentiamus *de infallibilitate decretorum et canonum in concilio*

C 2

lii

45) In omni antiquitate nullum proferri potest exemplum eiusmodi facinoris. Dogmata quidem haeretica patres percusserunt anathematis fulmine, haeresium autores denuntiatae haereseos reos pronunciauerunt, at gladium nunquam strinxere rogos non incendere: Hoc ius Imperatoribus aliisque magistratibus saluum et intactum reliquerunt. Ipsi adeo pharisei et iudaeorum proceres in Christo damnando id agnouerunt, sibi non licere interficere: quanto peiores fuisse oportet improbos HYSSEI et HIERONYMI Pragensis sicarios, qui homines nullius criminis, nisi maioris omnibus aliis eruditionis et pietatis, conuictos homines trucidarunt. Diabolicum est inuentum fictio utriusque gladii: et res omnium pudore digna est, in conciliis, quae ecclesiae salutem debebant procurare, sanguinem innocentum esse effusum, rogos incensos, homines perditos. Ecclesiae est, dicere quid verum sit falsumque; rectum aut malum. Fulmina anathematum ad resipiscentiam errantium tanto minus valent, quanto magis faciunt ad alendam et augendam acerbitatem et audaciam. Ipsa experientia docere deberet et posset papicolas, inanibus anathematibus tam Bullae Leoninae, quam Concilii tridentini, rem malam in peius esse mutatam: inseruierunt enim schismati oriundo, quod LVTHE- RVS nunquam cogitauerat.



lis factorum, quod scilicet errare legitima concilia nequeant, constat ex supra dictis. Scilicet negamus totam rem, quoniam *αδύνατος* sua natura, et falsissima suis ratiunculis est fictio, historiae insuper et actis conciliorum prorsus contraria.

§. XXV.

Ad aliam nunc accedimus causam, in qua quidem quaeritur, quinam qualesque viri eiusmodi ecclesiam repraesentantem possint et debeant constituere? Atque nullum nobis quidem, et cui sano? oritur dubium, quin et laicis ad hocce negotium aditus patere debeat, modo sint idonei viri, qui vtiliter consultationibus interesse possint. Cum enim ecclesia complectatur duo hominum genera, alterum clericorum, alterum laicorum, horum praeterea semper maxima pars sit, non potest esse vlla legitima iustaque ratio, cur occlusus esse queat laicis aditus ad concilia, eorumque possint consilia sperni, cum de eorum salute, vti praesumitur, agatur potissimum. In fraudem enim absentis, cuius res agitur, nihil decerni posse, tam lege naturali quam iure scripto, inter omnes constat, vti Iure Consulti copiose docent. Nec ea lege mitti possunt legati ex clericis tantummodo euocati, vt quicquid illi decerni fuerint, firmum validumque sit, et in legem abeat irrefragabilem. Quod si igitur pars ecclesiae cuiusuis maior et numerosior sit in laicis, hi omnino etiam admittendi sunt, ad capienda concilia de totius ecclesiae salute 46); id quod fortiter tenendum est

46) Sic in concilio, vti appellant fati incongrue, Apostolorum Act. XV. legimus meridiano sole clarius, *populum omnem christianum adfuisse*, et compotem fuisse consultationum com. 7. refertur, *rites* (qui non apostoli sed alii quidam sunt) disceptasse. com. 12. dicitur: *totam multitudinem conticuisse*, ergo antea locuta fuerat. *Visum* denique est Apostolis et presbyteris cum toto coetu: sic iterum ad vnum omnes, *Apostoli, presbyteri et fratres* litteras miserunt ad ecclesiam antiochenam. In Concilio Nicaeno I. Laicus quidam cum acutissimo philosopho quodam insultante indigne theologis, disputationem instituit; referente SOZOMENO L. I. c. XVII. RVFFINO L. I. c. III. hic compescuit sophistam, quem episcoporum nemo potuerat constringere. In Concilio *Carthaginiensi* Vto sententiam dixit etiam

contra recentiorum papicolarum innouationes et tergiuerfationes, quibus laicum quemuis, quanquam regiae sit auctoritatis, a repraesentantis ecclesiae consultationibus si non penitus abesse, vt quidam moderatiores volunt, tamen muti et furdī instar interesse cupiunt. Sic enim vidimus nuperrime, pontifice posteriori mortuo, nouum creari pontificem solis ab ecclesiae romanae cardinalibus, nullo in consilium adhibito siue Augustissimo Imperatore Romano ipso, qui eodem tum temporis momento metropolim suam visitans Romae aderat, cum in conclauī essent ii, qui ecclesiam in se repraesentari omnibus persuaderi conantur, siue legato eius siue legato alius cuiusuis catholici regis aut populi. Nec aliter in bullis pontificum edendis fieri solet, quibus leges feruntur publicae, insciis regibus atque populis. Inde et iure suo vfos esse Reges Galliae credendum est, si quando eiusmodi bullas atque decreta a finibus suis arouerint penitusque in regionibus suae ditioni subiectis abrogauerint: vti et recte adhuc faciunt, si quaecunque decreta illuc Roma venerint, prius nota fieri non sinunt, quam summis regni magistratibus fuerint probata. Ergo laicus omnino locus in conciliis ac sedes esse debet constituta, idque ad

exem-
 COECILIUS quidam a BOITTA: item *Confessor SATVRNINVS* a TV-
 VA, nec non HORATIUS a TVVA, omnes Laici, vid. BARONIUS ad an.
 258. n. 12. THEODOSIUS II. haeticorum dogmata, acceptis ab vtraque
 parte libris, damnauit. vid. SOCRATES Lib. V. Hist. Eccl. c. X.
 Pontificiorum rima, qua his pressī historiae monumentis effugere con-
 nantur, non difficili labore obstruitur. Omnium maxime est BA-
 RONI distictio inter iudicium S. votum *consentiens* et *definiens*
 ridicula: nam in *chalcedonensi* concilio subscriptio haec legitur: *Ego*
Dorotheus Episcopus consensi et subscripsi. Sequeretur ergo, ne qui-
 dem episcopus definiētia habuisse vota. At quaero, cur ad Impera-
 torem Theodosium I. Synodus constantinopolitana I. scriptam episto-
 lam his ordiatur verbis: *Cupimus abs TE, humanissime, et piissime*
Imperator, diplomate Tuo synodi sententiam confirmari, vt quemadmo-
dum litteris, quibus nos conuocasti, ecclesiam honorasti, ita et PLA-
 CITA Synodi. (vide MERZI, quam grauius Tuam intemperan-
 tiam pudefaciat horum moderatio et humilis de se aestimatio: placita
 appellant, non *infallibilia decreta*, quaecunque decreuerint) SVB-
 SCRIPTIO AC IVDICIO TVO MVNIAS? Ergo olim subscribere
 idem erat ac definire.



47. exemplum antiquissimorum conciliorum 47), vbi cupiunt mereri illustre nomen ecclesiae repraesentantis. Hi tamen laici non ex infima plebe debent excitari, sed conuenit eligere ad eiusmodi negotium viros animi sapientia et morum integritate conspicuos, rebus gerendis idoneos et aduetos, prouidos, sagaces, qui, quid ex re populi christiani sit, quid magistratum auctoritati, quid omnium saluti proficit, optime nouerint, et ne quid detrimenti capiat res publica ex cleri romani clandestinis consiliis, videre queant. Sic antiqui Imperatores atque reges christiani semper conciliis interesse uoluerunt, aut ipsi aut per suos legatos; ita adeo, vt Imperatores vel ipsi vel horum legati principem in conciliis sedem occuparent, omnia dirigerent et definirent 48). His

47) Quaedam huius rei documenta iam excitauimus, nota antecedente, nunc addamus haec: *In conciliis antiquis vel ipse Imperator primam tenuit sedem, vel legatum aliquem misit, qui COGNITORIS suo nomine omnia gubernauit.* Sic MARCELLINVS in Concilio chartaginensi *Cognitoris* munus gessit, laicus et Tribunus simulque Notarius alioquin Imperatoris. BARONIVS et cum eo SPONDANVS multa, quae nihili sunt, de hoc munere loquitur. At res ipsa concilii acta docent aperte, cognitoris fuisse *iudicium decisuum*. Quale eius munus in omni suo ambitu fuerit, optime cognoscitur ex verbis CONSTANTINI ipsius. *Ego, inquit, uobiscum interfui, tanquam unus ex uobis.* EVSEBIVS Lib. III. de Vita Constantini. *Ego suscepi et perfecit res saluatares* L. II. cit. lib. *Cognitor* Imperatoris partes sustinuit, sententiam dicendo, definiendo, confirmando concilii decreta; auctoritatem *ἀντιπροσβουλον* exercuit. Omnis synodi actio ab eo gubernabatur, ordo rerum tractandarum disponebatur, litigantes ipse partes moderabatur, iudicariamque tandem ferebat sententiam. Hoc *cognitoris* munus fuit, quicquid illi contra blaterent. vid. du FRESNE Glossar. Med. Latinit. vbi per iudicem explicat.

48) NICOLAUS I. pontifex, insanus quamquam monarchiae papalis defensor, tamen in litteris ad MICHAELEM Imperatorem, quae a CRABBIO referuntur, et cuius aliquot uerba narrat GRATIANVS in Iure Canon. Dist. 96. cap. *ubinam*, hoc agnouit rectum esse: Verba haec sunt: „*Ubinam legitis, Imperatores antecessores vestros, synodalibus conuentibus interfuisse, nisi forsitan, in quibus de fide tractatum est, quae uniuersalis est, quae omnium communis est, quae non solum ad clericos, uerum etiam* „AD

His iungi debere clericorum proceres, inter protestantes et pontificios nulla est disceptatio. At quales clerici? Num ii solum, qui purpurati titulum pompa caeteros superant, an illi potissimum, qui rerum diuinarum atque humanarum notitia caeteris antecellunt? Profecto hi palmam illis eripient ex prudentum omnium sententia. At ex pontificum re saepissime fuit, homines, natalibus quidem illustres, ingenio verum et animo longe obscurissimos eligere ad maximi ponderis negotia tractanda 49): aut ad summum callidos et versutos homines. Seli-49. gendi ergo sunt, vt ecclesiae repraesentantis membra constituent, viri eruditionis theologiae, linguarum orientalium notitiae 50), 50. rerum in ecclesia inde ab antiquissimis temporibus gestarum scientiae, candoris, dexteritatis, pietatis et liberalis animi laude conspi-

„AD LAICOS ET OMNES OMNINO PERTINET CHRISTIA-
 „NOS?“, Impudentissime quidem hic vicarius, qui esse vult, Christi, *mentitus est* in priori membro, contra omnem veritatem factorum: *recte tamen iudicauit de aequo et bono*, in admittendis laicis ad consultationes synodales de fide, doctrina, et salute ecclesiae. Vestigia hominis sacrilega in peiori sententia presso pede nostro aevo sequitur MERZIVS Ignatianae familiae socius, in contemtum et fraudem omnis veritatis historicae propugnans hoc monstrum opinionis: „omnia concilia solum a pontificibus esse conuocata, celebrata, confirmata sine yllo Imperatoris ope et commercio“, Vid. Eius *Weyhnachts-Predigt* 1766. Rubore et perfunderetur, indura nimis est hominis frons, addere possemus proborum virorum alia testimonia multa fide dignissima. Quod vero ad hoc rei nostrae momentum attinet, aliis testimoniis confirmari potest laicorum ius accedendi ad concilia. Satis iam fit his: primo auctoritas *Abbas* et *Archiepiscopi Panormitani* in cap. *significasti*, col. penult. extrau. de electione. Sic et CAROLVS deinde MOLLIAENVS in Consultatione de Concilio Trident. §. 34. hoc inter errores et nullitates concilii huius refert, quod concilium decretis suis excludat a consiliis de rebus ecclesiasticis laicos homines, imperatores adeo et reges, quoniam hoc contrarietur antiquis conciliis et canonibus collectis a GRATIANO.

49) Confer. quae supra §. XXIV. hac de re dicta sunt.

50) Huiusmodi viros magnopere oderunt pontificii, vt ex MADRVCGI I fermone §. XVI. nota 26. relato compertum habemus.



conspicui, quorum veritatis, et rectitudinis studium satis
 51. constat documentis idoneis 51), ne qua diffidentia membrorum
 inter se rumpat mutuam amoris vinculum, quo bene firmata
 vbi religiose continetur, et veritas in doctrina, et rectitudo in
 disciplina nunquam non inuenitur. At vbi imprudentium im-
 peritorumque hominum saepissime conductis mercede clamori-
 bus res ecclesiae geruntur, tunc de salute ecclesiae plane actum
 52. est 52). Si placet, collationem nunc quisque potest insti-
 tuere cum patribus tridentinis, quorum plane aduersam ima-
 ginem pinxit SARPVS, non parum adiutus a PALLAVI-
 CINO.

§. XXVI.

Quaeritur porro: *utrum eiusmodi bene collecta ecclesia reprae-
 sentans ad tempus tantum definitum durare et constare sibi debeat,
 an in perpetuum stabileque iudicium ecclesiasticum abire possit?*
 Pro ratione eorum, quae antea dicta sunt, varia existit quae-
 stionis solutio. Etenim hoc omnium primo patet, ecclesiae
 repraesentantis omnem auctoritatem sic et durationem pendere
 a consilio et voluntate ecclesiae repraesentandae. Quod si er-
 go ecclesiae particulae omnes in id consenserint, vt ad *cer-
 tum aliquod negotium* perficiendum vnum in locum quaeque mit-
 terent legatos, reapse manifestum est, perfecto statim nego-
 tio simul exspirare ecclesiae repraesentantis nomen atque au-
 ctoritatem; quoniam vltra limites praescriptos progredi nulli
 legatorum fas est. Nunc neque repraesentans neque reprae-
 sentata amplius habetur ecclesia: sed vna est ecclesia ipsa suis
 omnino membris constans. At hoc quaerimus, num possit
 fieri, vt in perpetuum maneat aliqua semel constituta hoc
 consilio

51) Hoc recte monuit PAREVS in *Irenico* p. 9.

52) Exempla satis multa collegit miserabilis huius facti Vener. SEMM-
 LERVS in select. Capit. Hist. Eccl. P. I. II. et III. quae pro rerum
 tractatarum ordine facilia sunt inuentu.

consilio ecclesia repraesentans? Hoc enim collegium cardinalium esse vult. Et quidni possit? Siquidem communi omnium ecclesiarum particularium in toto consilio vnquam vsquam gentium constitui necessarium et vtile duceretur ecclesiam perpetuo repraesentantem, quae idoneis viris ex clericorum atque laicorum grege et particularibus ecclesiis delectis instructa sit, vt communi consilio res ad religionem pertinentes cognoscant, dirimant, definiant; quis hoc reprehendere iure meritoque possit? Eiusmodi aliquid conspicitur in principum augustanae confessionis regionibus, vbi per *consistoria ecclesiastica*, viris idoneis ex vtraque ecclesiae parte collectis instructa geritur vniuersa rerum sacrarum cura, quae res summam salubritatem affert. At si quis defenderit, ecclesiam vniuersaliter repraesentantem in perpetuum posse constitui, ego quidem non simpliciter negauerim, vix tamen crediderim: idque politicae propter rationes, non quod secum pugnaret. Interim si fieri posset, quis est, qui quod vtilissimum foret institutum, inficias ire audeat? Verum enim vero, quando romanus pontifex vna cum suis mancipiis, iuramento durissimo vincitis, cardinalibus scilicet hoc honoris et amplitudinis prae se fert, quod constituant inuicem ecclesiam repraesentantem vniuersalis ecclesiae, inanissima haec est iactatio, omni fundamento destituta. Etenim quis eligit haec membra ecclesiae repraesentantis? Ecclesiaene particulares? Minime: ipse papa eligit. Sed quis papam creauit? omnisne populus christianus? Minime: illi ipsi cardinales! et ex quam ecclesiae parte eliguntur hi? ex altera solum minoris numeri, ex clero, laicis prorsus neglectis. Ergo, cum in nemine horum omnium eligendo vllae sint ecclesiarum partes, quae tamen esse iure meritoque quam maxime deberent, nemo horum hominum est legitimus ecclesiae repraesentantis membrum, ergo et omnia eorum consilia, dicta, facta, decreta nulla et irrita nihilque pendenda sunt; nam tota disputatio ab omni parte circulo agitur se ipsum excipiente. Videt itaque quisquis prudens, decreta et bullas pontificum, adhibito suorum

D

manci-



mancipiorum consistorio, conflatas contra ius fasque, obtrudi mentibus christianis sub specioso fati titulo *ecclesiae repraesentantis*, cui quis non summam habeat venerationem? Hoc artificio, ut supra dictum est, imponunt bonis hominibus, ut has stultas et arrogantes bullas caeca veneratione adorent. At dicit quis, „eadem ratio conuerti potest ad vestra consistoria. Horum enim membra nudo principis aut magistratus summi arbitrio ad illud munus eliguntur, absque his solis mandata accipiunt, nullo urbium et pagorum consilio adhibito. „ Sed non sequitur haec conclusio. Nostra enim consistoria nullam habent in doctrinam publicam cognitionem, noua dogmata, nouas leges, condere ipsis minime licet: prius non potest fieri, nisi per concilium nationale, posterus, si externa sacra respiciuntur, a voluntate principis pendet, quem episcopum summum populi sui agnoscimus. Quod si igitur pontifex romanus, pro munere episcopi romani, in sua dioecesi exercere velit ius summum circa sacra, nos nemo experietur aduersarios; at omnibus, quorum neque princeps neque episcopus est, dare leges et praecepta in rebus sacris, spargere noua dogmata, adiectis anathematismis imperare liberis populis, quis ferre potest? Nostra consistoria id officii habent, ut *pacem externam, puram doctrinam, morum sanctitatem inter clericos, iuraque et leges ecclesiasticas, communi consilio comprobatas, in Ecclesia conseruent, omniaque summi episcopi nomine agant.* Sic omnia bene se habent, cum contra ea apud pontificios populos vbique terrarum, in quibus paretur pontifici, *status sit in statu, summa misceantur imis.*

§. XXVII.

Properamus nunc, ne nimis patientia lectorum abutamur, ad finem coeptae opellae, pensitantes, num illi *ecclesiae*, quam *repraesentantem* dicere et illi volunt, et nos admittimus, *ea omnia praecelara competant, quaecunque Scriptura Sacra illi in genere*

genere et simpliciter sic dictae ecclesiae tribuit, Deusque sponsae Christi pollicitus est? 53) Contendunt hoc pontificii domesticis ex rationibus, nobis strenue negantibus. Neque sufficient, quas adducere solent, ratiunculae ad obtinendam malam causam. Distinguendum enim erit, frustra renitentibus illis, ni omnia et diuersissima quaeuis confundere velis, vsque ad extremum diem *visibilis* ab *inuisibili* ecclesia: vtrique alia atque alia promisit benignissimus vniuersi rector. 53) Alia sponsus 53. sponsae, quae est coetus fidelium veram fidem vero amore probantium, pollicitus est, quae maximam partem alteram vitam spectant: alia visibili ecclesiae militanti, quae dona intra huius seculi fines terminantur. De illis, quae futuram vitam spectant, sermonem nobis iam non esse, fortassis et ipsi concedent. De his minime fieri potest, vt singulariter in ecclesiam repraesentantem, aliterque, quam in reliqua membra, cadant. Sic de donis spiritus S. ordinariis ad fidem veram capessendam, conseruandam, augendam, exercendam et probandam, eadem est ratio, membrorum repraesentantis et repraesentandae ecclesiae: non enim alio modo, nisi per verbum et sacramenta, fidem veram adipiscuntur omnes, gratiam Dei salutemque animi. Hoc, ni omnia me fallunt, ipsi nobis dabunt. Vnum modo est, quod premunt, *donum infallibilitatis*, coniunctum cum *externo splendore et gloria*. Posterius quod attinet, valde obscuratur per clarissima vaticinia de calamitatibus et miseriis, quibuscum ecclesiae militanti configendum erit vsque ad seculi finem. Velintne haec vaticinia negare? Non possunt; ergo veram ecclesiam non posse esse eam necessario sequitur, quae vel nullas calamitates vere patitur, vel libera ab ipsis cupiat esse. Prius

D 2

vero

53) Iterum hic atque hic loci praecipue commendamus lectori supra, nota 3, laudatum libellum Venerabilis CRVSII, qui de hoc nostrae tractationis loco singulariter exposuit: quem quidem excipere nolimus, cuius vero omnia argumenta toto corde amplectimur.



vero sic se habeat. Quod donata sit ecclesiae infallibilis iudicandi et pronuntiandi de fide facultas, illi quidem credunt, sed vix credo, quod credant; docent quidem et aiunt: Christum suae ecclesiae in terris visibili aspectu conspicuae, aliam enim inuisibilem non admittunt, pollicitum esse hoc, ut nunquam deficeret a fide vera, nunquam errore contaminaretur: exinde hanc consequentiam eliciunt: „quoniam errare ecclesia Christi non potest, ergo et eius interpretationes textuum sacrorum semper verae, omnia eius edicta recta et salubria sunt, perfectissimamque et absolutissimam poscunt et exigunt ab omnibus ecclesiae membris obedientiam. Atqui nos pontifex et cardinales repraesentamus hanc Christi ecclesiam; Ergo cet. „ Absurdus nil cogitari potest hoc sophismate: coherent hae praepositiones tam arcto nexu, quam vnquam arenae particulae. Negamus totum argumentum. Negamus, Christum vnquam suae ecclesiae in terris militanti pollicitum esse eam fidei firmitatem, ut ab omni errore tuta maneat. Negamus ergo etiam multo magis consequentiam in fauorem mendacii et fraudis inuentam. Nunc itaque ad rationes et argumenti probationem. Hic ablegant nos pontificii ad dicta aliquot Christi et Apostolorum, quae hanc totam disputationem in suspenso et dubio relinquunt. Longe alia enim de re aiunt, vti quemque littera Scripta docere potest, si modo legere non-praeuentus valeat. Necessarium non est adducere loca: tentabimus potius totum ratiocinium refutare constructa deductione ad absurditatem. Ponamus, Christum ecclesiae suae pollicitum esse, quod a fide nunquam sit defectura; nunc quaero, de quanam ecclesia Christus hoc dixerit? vtrum de *hierosolymitana*, quae mater omnium, teste historia et Luca in Eu-

in Euangelio et Apostolorum actibus, ecclesiarum fuit? an de *Antiochena*, de qua refertur, Antiochiae primum usum vocabuli *Christianorum* increbuisse? an de tota *asiatica* ecclesia, ubi primis seculis christianismus quam maxime viguit? an de *romana* particulari, aut de *occidentali* ECCLESIA VNIVERSA? an tandem de *africana*? Verum docemur a pontificiis ipsis, plures imo omnes harum ecclesiarum tandem defecisse a pura doctrina, et in errores grauissimos incidisse: Vbi nunc manet illud Christi promissum? nonne factis subsecutis confutatum est? „at in *Romana* aiunt, quae vniuersalis et omnium mater est, *mansit.* „ Bene, hoc volebamus: sed, cum Christus viueret, Romae nulla erat ecclesia; at etiam hoc concedamus: sed probetis nunc, si potestis, mansisse in ecclesia romana veram fidem: promissum enim omni applicatione ad ecclesiam romanam caret, donec pura ecclesiae romanae doctrina fuerit testimoniis sacrarum litterarum confirmata et defensa. Si prouocatis iterum ad promissionem vt defendatis coactas interpretationes vestras, circulo ambitis nec quicquam efficitis: haec enim erant demonstranda, hanc esse *in vos vnos* dictam promissionem. Quaerimus porro: si Christus tale quid Ecclesiae vniuersali promiserit, num, quoniam multarum magnarumque ecclesiarum errores admissos ipsi conqueruntur pontificii, num inquam *maiori aut minori parti totius ecclesiae promisit?* Si *maiori*, repugnant sibi, *Asiae* enim et *Africae* antiqui coetus multo maiorem numerum hominum complectebantur olim, quam ecclesia romana, qualis tum erat: sit *minori*, iterum secum ipsi pugnant, dum nos damnent ceu qui defecerimus a recta fide, cum tamen pusillum gregem conficiamur. Ergo nihil omnino demonstrare possunt. Et qui possent? Tota



illorum interpretatio verborum Christi nullo plane innititur fir-
 mamento stabili. Nunquam tale quid Christum promississe sole
 clarius elucet ex ipsius et apostolorum admonitionibus, vt ca-
 ueant sibi christiani ab erroribus. Et quantumuis omnia se re-
 cte haberent, quid hoc ad eos, qui ecclesiam tantum reprae-
 sentant, quorum nulla in scriptura S. fit mentio? imo conci-
 lia saepissime errarunt; nec constat inter omnes, quaenam
 orthodoxa, et quaenam heterodoxa sint? Nec probare vn-
 quam poterunt legitimis documentis, pontificem aut cardina-
 les posse constituere, sibi que licere, ecclesiam repraesentan-
 tem. *Vera ecclesia est ea, quae veram tenet et docet doctrinam:*
cuius membra vera sunt, qui veram fidem amore integro compro-
bant. Haec est, cui Iesus non solum spiritualia bona et ex-
 ternam quandam aliquando felicitatem promisit, sed etiam mul-
 ta mala, grauissimasque calamitates praedixit. Vera vero
 doctrina non ex verae ecclesiae hypothese per circulum, sed
 aliunde demonstrari debet, scilicet ex conuenientia cum scri-
 ptis Dei oraculis.

Verum enim vero haec pontificiorum fictio propterea con-
 dita est, vt remoueatur suspicio iustissima erga dogmata lucri-
 fica; quibus alias fides derogaretur omnis, nisi primo hoc
 ponerent certissimum: romanam ecclesiam non posse errare:
 ergo omnia eius dogmata esse verissima. Has traditiones, quas
 45. MERZIVS ingeniose *Erb-Lehre* 54) appellat, et a patre here-
 ditario

54) Aliquoties iam mentionem huius hominis fecimus; tantopere
 enim illum adamamus, vt nunquam non in memoriam reuoce-
 tur



ditario iure acceptas gloriatur, quicumque in auxilium demonstrandae veritatis in doctrina euocat, malum consilium prodit et omnibus ad irrisionem se prostituit. Tandem postquam ad finem libelli nostri venimus hoc ratiocinium pontificium:

Ecclesiae vniuersali, promissus est Spiritus sanctus et una cum hoc facultas infallibiliter definiendi in rebus fidei.

Atqui pontifex et cardinales constituunt repraesentatiuam ecclesiam, loco et in vicem ecclesiae vniuersalis.

Ergo promissus est his Spiritus S. et infallibiliter de fide decernendi facultas.

Ergo et eorum omnia dicta et facta verissima sunt.
hoc transuerso ratiocinio retorquemus, melius ab effectu ad causam progredientes:

DICTA

tur eius notissimum nomen. Lepidum profecto est hoc vocabulum: *Erb-Lehre* ipsique proprium, nusquam antea nobis lectum: proprio videtur marte, quamuis inuita Minerua excogitasse. Fruatur itaque labore suo improbo! Sanationem caeterum hominis, ut mens sana sit in corpore sano, possitque eo lautius frui *ampliori sursu re domestica*, qua mirifice delectatur, commendamus et pontifici romano et toti ecclesiae repraesentatiuae, infallibilitate sanandi stupidos donatae, ut, si quid vnquam valeant humeri, si quid vnquam infallibiliter perfecerint, in hac columna pontificiae infallibilitatis faciant artis periculum. Vna tantum videtur esse mendendi ratio haec: **ô MEDICI! MEDICI! MEDIAM PERTVNDITE VENAM!**



DICTA ET FACTA PONTIFICVM ROMANORVM AT-
 QUE CARDINALIVM SCATENT ERRORIBVS ET
 FLAGITIIS DISSONANTIBVS AB VNA VERITATIS
 NORMA, SCRIPTVRA SACRA.

ERGO SCRIPTVM SANCTVM VT ET INFALLIBI-
 LITATIS DONVM AVT NVNQVAM HABVERVNT,
 AVT VTRISQVE DONIS NVNQVAM VSI SVNT,
 NEC ADHVC VTVNTVR.

ERGO AVT NOLVNT AVT NEQVEVNT REPRAE-
 SENTARE ECCLESIAM IESV CHRISTI, QVAE
 PVRAM DOCTRINAM TENET SPIRITVS S. AD-
 IVVANTE GRATIA.

SOLI DEO GLORIA
 NON PPAE.

ERRATVM: p. 10. not. 35. lin. 9. pro panam, leg. *papam*.







Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1800867883/phys_0036

DFG



aliae sunt rationes, cur *ecclesia repraesentans* inter
 eponi non possit. Scilicet natura rei atque neces-
 sarium rem defendunt. Nam secundum vtriusque iuris
 ecclesia sit *societas, collegium vniuersitas* hominum,
 iis vitur legibus, ei competere quoque debent omnia
collegii priuilegia et iura. Loquimur enim in hac no-
 tione de ecclesia externa visibili, quae consiliis huma-
 gimen externum carere nequit. Quemadmodum igitur
 e ciuitas hoc iure vitur, vt ad procurandam salutem
 munitatis delegat vnum aut plures, qui nomine omnium
 aluti consulant: sic et vnique ecclesiae particulari,
 ntegralis est totius Christianorum per orbem terrarum
 uitatis, competit omnino ius et facultas, deligendi *ex*
 ucos siue plures, quibus iura sua et salutem concredat,
 ne suo agere iubeat, quorum communiter capta con-
 siliis probata fuerint, sequi velit. Attamen, quamuis
 ue indubitatum hoc sit, inter *admirata* numerare quis-
 ra pace posset, *vniuersae* ecclesiae christianae posse *iustitiam*
vniuersaliter repraesentantem. Non enim video, qui
 vt omnes Christiani orbis particulares ecclesiae in hoc
 aeniant, vt nulla reuente ab omnibus ac singulis de-
 m mittantur ad eiusmodi concilium, quod iure merito-
 i debeat pro ecclesia *vniuersaliter* repraesentante, aut ni-
 nt, tamen deficientibus ex sua parte legatis ea rata ha-
 aecunque a caeteris repraesentantibus ecclesias suas par-
 ecreta fuerint. Ergo et in recentiorum temporum con-
 clarum et illustre hoc nomen et nimis arroganter in-
 dhibitum videtur. 32)

§. XX. 32.

RINGA de *Synagoga vetere* consulendus esset omnino, quem
 consequi non potui; ipse vero nondum habeo.
 antiquissima quidem concilia celebranda episcopi delegati orien-
 occidentis ecclesiae conuenerunt, testantibus actis. Verum in
 plurimis recentiorum temporum conciliis nulli exterarum ec-
 um legati accefferunt, e. c. in Pisano, Constantiensi, Basileensi,
 e omnium tridentino, cui nequidem ab initio, cum grauissimis
 us, scilicet *de modo agendi et tractandi in concilio* deliberatum est,
 ecclesiae




Image Engineering - Scan Reference Chart - TE203 - Serial No.